

Vg
4702



9
C

a



J. Georg. Lehmanni 1697.

De salutari Reformationis Lutheri
memoria celebranda.

191.

18

III

Vg
4702

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
ad recolendam memoriam
REFORMATIONIS,

quam

singulari DEI instinctu

B. LUTHERUS

pridie Cal. Nov. anno MD XVII.

feliciter incepit inceptamque postea felicis-
simè perfecit,

Utriusque Reipubl. Proceres
Florentissimumque Studiosorum coetum
in diem crastinum decenter

invitat.

DECANUS

D. GE. LEHMANN.

de festo biblicorum translationis in Duxenbays celebrato.







7. N. 7.



Elebramus per DEI Gratiam denuò Festum, quod Reformationis Lutheranae vocant, & ante hos triginta annos celebrandum instituit Serenissimus & Potentissimus Elector Saxoniae, Johannes Georgius II. cujus memoria erit in pace, dum sol hunc illustrabit orbem; nec dubium est, quin idem celebraturi simus Divina assistente gratia, quamdiu in hisce regionibus fulsura est Lux Evangelii, quod futurum certo certius confidimus, donec supremus rerum Arbiter rebus omnibus impositurus est finem. Instituerat privatim Witebergæ superiori seculo B. Bugenhagenius, qui à Patria Pomeranus vocabatur, cum Domesticis suis Festum translationis Bibliorum. Adhibuerat enim ipsum cum aliis *συνεργεῖς* Lutherus, quando ex fontibus Hebraicis & Græcis Biblia in Germanicam transferret linguam. Cum igitur opus illud esset absolutum, Bugenhagenius singulis annis eo die, quo absolutio facta erat, post gratias DEO peractas, amicos solenni convivio excipiebat, & quasi Natalem translationis Bibliorum in timore Domini celebrabat. (*vid. Melch. Adam. in vitis Germ. Theol. p. 323.*) Nec quisquam ex viris cordatis fuit, qui hoc nomine contra ipsum virgulam censoriam adhibuisset. In aprico enim etiamnum est, quanta ex translatione ista ad Ecclesiam orthodoxam profluxerit utilitas. Egerat enim Lutherus in multis præsertim difficilioribus Scripturæ S. locis non tantum metaphrasten, sed etiam paraphrasten, ita ut Illustrissimus Princeps Anhaltinus, Georgius, pientissimæ memoriæ scribere non fuerit veritus: (*Conc. 2. de falsis prophetis. Conf. Luther. tom. 9. Altenb. p.*

) (2

1578.

1578.) Germanicam Lutheri versionem tam claram & perspicuam esse, loquique Lutherum in lingua Germanica tam aperte & clare, ut ejus verba Germanica longe clariorem lucem de se spargere deprehendantur, quam aliorum ingentia Commentaria in Scripturam S. idque omnes doctos & intelligentes existimatores uno quasi ore fateri necessum habere. Ipse Megalander propterea sibi gratulabatur, quod hanc divinitus acceperit gratiam, ut in linguam vernaculam transferre potuerit Biblia Hebraica, quamvis expresse adderet, se isthoc labore non meruisse apud DEUM unicam vitae horulam, quin nec oculum, ut ad momentum videat &c. (*Vid. Tom. V. Jen. fol. 143. 163. & Mathesium in vita Lutheri.*) Recte proinde Tilem. Heshusius in *Conf. de un. person. Hac Germanica*, inquit, *Biblia Lutheri instar pretiosissimorum thesaurorum sunt, qui nullis mundi divitiis, licet omnes coacerventur, conferri vel comparari possunt.* Quid vero inde? quid hæc ad rhombum? multum profecto, non parum. Hoc sane sua quasi sponte sequitur: si translatio Bibliorum in linguam Germanicam meretur, sicut omnino meretur, ut Festum hoc nomine instituaturn peculiare, quid dicendum nobis erit de toto Lutheranae Reformationis negotio, quod ab anno 1517. usque ad seculi istius ann. 46. duravit, quo evocatus est beatissimus Reformator ex hoc Regno gratia in Regnum Christi gloriosum. Manifestata est per annos 29. bestia loquens blasphemias, volavit Angelus Apocalypticus per medium Coeli, cecidit Babel, & quod merito aestimes magni, etiamnum hodie manifestatur, volat & cadit: manifestabiturque volabit & cadet & ista, & ille, & hæc, usque dum totius mundi structura corruet penitus destructa. Dignum proinde & justum est, verè dignum & justum est, æquum & salutare, ut Deo immortali gratias agamus, quas mente concipere possumus maximas; ut celebremus festum die festo & profesto, ne forte in nos torqueatur dicterium *Platonis in Gorgia in dialogo de Rhetorica: κατόπιον εὐφροσύνης ἤκομεν.* Cantemus potius Domino cum Davide Ps. XCVI. & benedicamus nomini ejus, annuntiemus de die in diem salutare ejus, annunciemus inter gentes gloriam ejus, in omnibus mirabilia ejus. Etiam si totus illabatur orbis, repetamus sonora voce *Psalmum XLVI. Deus nostrum refugium & virtus, adjutor in tribulationibus, qua inve-*
ne-

nerunt nos nimis. Propterea non timebimus dum turbabitur terra & transferrentur montes in medium mare. Rivuli fluminis letificant civitatem DEI, sanctas habitationes Altissimi. Deus in medio ejus, non commovebitur, adjuvabit eum DEUS mane, venite & videte opera Domini, qui posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terra. Vacate & videte, quoniam ego sum DEUS. Exaltabor in gentibus & exaltabor in terra, inquit Dominus, cui succlamamus: Dominus exercituum nobiscum, susceptor noster DEUS Jacob. Rident hæc Pontificii, & qui cum illis eandem tibiam inflant, sive Hæretici, sive etiam Athei, sive Pucciani, sive basiatores Indifferentissimi, quibus una & nulla Religio pari ambulant passu; sed rideant quantum velint, risum vel Chium, vel Jonicum, vel Magaricum, vel Sardonium, vel Syncrusium, vel quemcunque alium, Ecclesia Lutherana in sinu gaudet super isthoc Reformationis negotio. Norunt enim ipsius membra ad unum omnia, quid distent æra lupinis. Apprehendunt Christi sensum ex frequenti lectione Scripturæ Sacræ, quæ summam certitudinem infallibilemque secum affert claritatem, unde *Chrysostomus Hom. 13. in Gen. Sicut aromata*, inquit, *quanto magis teruntur, tanto majorem natura sua fragrantiam reddunt: Ita etiam Scripturæ usu venit, ut quanto quis illis est familiarior, tanto magis videre possit latentem in illis Thesaurum, pluresque percipere infallibilium divitiarum fructus.* Habent præterea libros suos Symbolicos, quibus non quatenus, sed quia cum Sacris literis conveniunt, inhaerent. Norunt hinc fidei suæ rationem reddere, qui hanc ab ipsis petunt, juxta illud Petrinum 1. Ep. 3, v. 15. *Sanctificate Dominum in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe & fide, sed cum modestia & timore, conscientiam habentes bonam, ut in eo, quod detrahunt vobis, tanquam scelerosis, confundantur, qui calumniantur vestram bonam in Christo conversationem.* Et si enim nemo nostratum Theologorum negat, sed ambabus potius concedit, dari certos gradus, intellectus seu cognitionis & scientiæ Sacrarum literarum, prout tres potissimum solent numerari ejusmodi gradus, & primus quidem dicitur, *intellectus simplex*, 2. *Uberior*, 3. *Fundamentalis*, quorum ultimus iis competit, qui herme-

neutricam Sacram cum omnibus ad illam necessariis adminiculis possident; *medius* his, qui diesque noctesque in sacro studio occupati sunt, conferentes antecedentia textûs cum sequentibus, item loca parallela, licet non omnia possint adhibere media, nec lingvas Orientales intelligant; *simplex*, verò pueris & laicis sufficit, qui ita procedere solent, ut accuratè observent regulas: *DEUS dixit, Ergo oportet me credere: DEUS præcepit, ideo faciendum mihi est: DEUS promisit, ideo sperandum mihi est, quicquid promisit.* Hæc igitur fides, quæ sic se habet, se optime habet, juxta illud: *simpliciter credere est optime credere, vel simplicissima fides est optima fides*, quæ tamen loquendi formulæ ita sunt accipiendæ, ut per fidem simplicem non intelligatur stultitia & tarditas cordis ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ, prout Christus *Luc 24. v. 25.* in Emaunticis discipulis id notavit, nec ignorantia affectata & malitiosa, ubi quis nescire mavult id, quod scire, observare, & intelligere potuisset, si voluisset; nec fides, quam in Papatu vocant implicitam, quam confessus esse dicitur Carbonarius quidam in Ponte Pragensi à Doctore Pontificio interrogatus, *quid crederet? ego*, inquiebat, *credo quod Ecclesia credit*; quid verò Ecclesia credit? pergebat Doctor, *quod ego credo*, respondebat carbonarius, (*vid. Lutherus Tom. 6. Jen. f. 102.*) Quod vero ulterius additur in relatione istius historiæ, rogatorem postea in mortis agone constitutum prius mori non potuisse, quàm diceret; *Ego credo quod Carbonarius credidit*; id suo loco relinquimus; sicuti etiam illud, quod *de Thoma Aquinate*, magno illò Scholastico, recensetur, ipsum ex tentatione non potuisse prius emergere, quam dixerit, *se credere quod in SS Bibliis*, quæ brachiis suis complectebatur, *extaret.* (*Conf. B. Olear. p. 1384. im HandBuch.*) Ejusmodi fidem neutiquam hic vocamus simplicem, quippe quæ nullius est precii, nec ullo modo ad salutem sufficit, quandoquidem sola fiducia in meritum Christi justificat, & vita æterna donatur. Sed simplex nobis fides illa æstimatur, quæ humili devotione & devota humilitate id, quod in Sacris Literis extat, præsertim quod Articulos fundamentales concernit, observat, amplectitur & custodit captivans intellectum suum in obsequium Christi, Hac fide
ni-

nituntur in nostra Ecclesia auditores, hac stant Pastores, Doctores, Prophetæ s. interpretes Scripturæ Sacræ, licet hi gloriari quoque possint partim de uberiore, partim quoque de fundame. tali cognitione & explicatione, quam aliis tradunt. Hac fide gloriamur nos omnes cum Paulo *Tit. 2. v. 13.* magis, quam cum omnibus Scholasticis, Thomistis, Scotistis, vel etiam Rationalistis, Sapiientistis, Perfectionistis, & quibusvis aliis, *expectantes beatam spem & adventum gloriae magni DEI & Salvatoris nostri Jesu Christi*, cui interea quotidianas persolvimus gratias, quod per Megalandrum Lutherum effecerit, ut à variis superstitionibus Papistarum simus liberati. Nescimus enim invocationem sanctorum, eorumque ut & nostra merita seu opera articulo justificationis non immiscemus. Negligimus communionem sub una; rejicimus purgatorium; detestamur actum, inventum ad quæstum, Missaticum, averfamur Papam ejusque *Antilogiam, Apostasiam, Anomiam, & superbiam*, qua etiam super DEUM ipsum se extulit. Amplectimur contra caput nostrum unicum, Salvatorem Jesum Christum, in cuius merito unice acquiescimus, nec in dubium vocamus, quicquid per Prophetas & Apostolos in verbo suo nobis revelavit. Certissimi quoque sumus, fore ut usque ad finem hujus mundi in vera doctrina permanens sit Patria nostra dilectissima. Habemus sanè multiplices propterea promissiones easque longe certissimas, modo in eâ, quâ debemus, devotione permaneamus. Nec desunt nobis per gratiam divinam, humana præsidia. Possidemus *litteras Asssecurationis Patris Patriæ, Serenissimi atque Potentissimi Regis Polonia, Saxoniaeq; Electoris, FRIDERICI AUGUSTI, Domini nostri Clementissimi.* Incidunt sua quasi sponte verba Q. Septimii Florentis Tertulliani, inter latinæ Ecclesiæ Scriptores primi, ex Apologetico adversus gentes: *Precantes sumus omnes semper pro omnibus Imperatoribus vitam illis prolixam, Imperium securum, domum tutam, Exercitus fortes, Senatum fidelem, Populum probum, orbem quietum, & quaecunque hominis & Caesaris vota sunt.* Quod si pro omnibus Imperatoribus, Regibus & Principibus Deum invocamus; quidni potius pro Rege & Electore nostro Potentissimo?

75 4702 69

Vivat Regia ipsius Majestas ! vigeat & floreat! DEUS Patrem Patriæ servet, defendat, custodiat, tueatur, regat, ut quæ ad Supremi Numinis gloriam & subditorum, Suique ipsius, quæ temporalem, quæ æternalem Salutem spectant, cogitet, suscipiat exequatur & perficiat. Sicerimus divina adjuvante gratia sub Clypeo Regiæ Majestatis tuti ab Hæresi, tutique à bello, aliisque calamitatibus omnibus, repetentes quotidie vel sexcenties : *Dominus Exercituum nobiscum, Susceptor noster DEUS Jacob!* Ansam ampliorem in Domino gaudendi, Supremoque Numini gratias agendi, præbebit Per-Eximius Dominus M. Joh. Christoph. Schwedler / Greiffenberg-Silesius, in oratione sua non ineleganti de Pace Conscientiis per Lutherum reddita. Cui ut cras post finita sacra matutina Procures utriusque Reip. Gravissimi cum Nobilissima Studiose Juventutis Corona interesse ne dedignentur, est quod officiosè rogamus. P. P. pro pridie Calend. Novembr.

1697.

Typis Immanuelis Titii.



m.c.



Pa-
re-
ra-
ua-
Re-
bus
um
in
ebit
en-
sci-
na-
Ju-

ULB Halle
004 965 922

3





H. Georg. Lehmann
De salutaria
191.

18

R
ACAD
ad r
REFO

fin
B.
pridie C
feliciter inco

Utriusq
Florentisfin

de festo biblio

en' open
III
Vg
4702

IS
NIS,

cis-
S
im

is celebrato.

